



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

2. De feruore eius pœnitentiæ mundique contemptu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

CAPVL. II.

De feruore eius pœnitentiæ mundique contemptu.

B. Virgo ei apparet eiusque ope impetrat à Deo castitatem.

ECce autem eo tempore quo Deum placabat, ingens tota domo inauditus est strepitus, cubiculum in quo erat contremuit, vitreaque fenestra confracta est. Hac porro in vitæ cōuersione carnis suæ infirmitatē non mediocriter pertimescebat: verūm Sacratissima Virgo Angelorū Regina, cuius tutelæ fideique se totum commiserat, in ipsa peruigilatione nocturna suum complexa filium ei sese palam ostendit: quo viso mirificè recreatus, tantum repentē cepit fastidium omniumque cum inhonesta præsertim voluptate coniuncta sunt, vt omnes earū rerū imagines ex illius memoria aspectus ille deleuerit, castitatemque iam tum ad extremum vsque vitæ terminum integram illibatamque seruarit.

Deliberabat cum animo suo de aliquo vitæ genere, in quo seueriore disciplina domaret & coerceret omnes cupiditates, cum Deoque posset esse con-

con-

coniunctior. Quamobrem vbi consti-
tuisset domum, parentes, amicos dese-
rere, neque posset Martinus Garcia
frater eius natu maximus illum de sen-
tentia dimouere, per caussam visendi
Naiaræ Ducis, ad Sacram B. Virginis
ædem in Monteferrato positam, duo-
bus famulis comitatus iter direxit,
quo in itinere partem earū rerū quas
secum ferebat illis distribuit, atque ita
eos a se dimisit. Ex quo autem disces-
sit, consuetudinem iniit singulis nocti-
bus sese acerrimè verberandi, quam &
itinere toto retinuit. Præterea Dei
amore studioque honoris eius fla-
grans acta sua, cogitata, quæque animo
destinabat in posterum omnia ad ma-
iorem eius gloriam referebat. Etenim
hic illi scopus erat vt omnia eadem
Dei gloria metiretur. Ad hæc in eadē
peregrinatione Deo Sanctissimæque
eius Matri sese perpetuo castitatis vo-
to singulari pietate obstrinxit. Pro-
gressus verò ad vicum haud procul à
Monteferrato distantē, necessaria qui-
bus peregrinationem Hierosolymita-
nam adornaret, comparauit, tunicam

Pere-
grina-
tur ad
Mon-
tem
ferra-
tum,
cor-
pus-
que
quoti-
die ca-
stigas.

Casti-
tatem
Deo
vouet
perpe-
tuam.

videlicet talarem canabinam asperam
& crassam, funem pro cingulo, spar-
teos calceos; postremò ad potionem
aquæ, cucurbitam.

De to-
ta vita
cōfessionē
instituit.

Ut ad sacram B. Virginis ædem Mon-
tisserrati peruenit, velut eger salutis
suę percupidus, diligēter in primis op-
timum maximeque solertem animarū
medicū peruestigauit, cui plagas ani-
mi sui detegeret. Naçtus ergo sacerdo-
tem quēdam religiosum natione Gal-
lum Ioannem Clanonē, virum sancti-
tatis laude præstantem ac celebrem;
apud hunc tribus ipsis diebus totius
anteactæ vitæ sordes eluit magna dili-
gentia, ingētique peccatorum dolore.
Atque hic primus fuit in cuius velut
patris ac magistri sinum consilia sua
intimasque animi cogitationes effun-
deret. Iumētum quo vectus erat coe-
nobio reliquit, gladium verò pugio-
nemque quibus mundo meruerat, ante
B. Virginis aram è tholo suspendendū
curauit, nouæ militiæ candidatus, præ-
stantiorique instructus armorum ge-
nere quibus Deo in posterū militaret.
Ea ipsa nocte cui festus Angelicæ salu-
tationi

B. P. Ignaty.

ratiōni dies illuxerat, quo Dei Verbum in vtero sanctissimę matris nostrę se humanitate vestiuit, anno nostrę salutis CIO. IO. XXI. quã occultissimè potuit ad hominem pauperem se contulit, cui vestes omnes ad interulam exutas dedit, & optatum illum quem paullò ante mercatus fuerat corpori saccum induxit. Hoc ornatus amictu nouus miles ante B. Virginis aram pernoctauit & modò stans, modò genibus nixus multis lacrimis præteritę vitę noxas eluere, Deum sanctissimamq. Dei matrem intēta supplicatione propitiare non destitit. Porrò ne qua illius fama vulgaretur, priusquam dilucesceret, inde digressus atque à militari via quę Barcinonem ducit deflectens, Minoressam tribus à Monteserrato milliariis distitam urbem contendit.

Hilaris alacerque gradiebatur Ignatius aspero deformique corporis culta, fune præcinctus, tornatilem baculum manu gestans, capite sinistroque pede nudatis: dextrò enim propterea quòd ex vulnere debilior erat, & singulis noctibus intumescebat sparteū calceum

Tyro
Christi in
oratio
ne
peruigilat.

calceum induxerat. Sed enim exultantem gaudio animum, nonnulla mox tristitia Deus contraxit. Etenim citato gressu quidam eum insecutus est, ut percuntando cognosceret, pauperine dedisset pretiosas illas vestes & elegantes, ob quas quasi furto sublatas miser a iudice in carcerem compactus esset. Hic ut innocētem periculo liberaret, veritatem quidem ingenuè est confessus, vimque lacrymarum profudit, seipsum incusans, qui ne quidem de altero bene mereri posset, nisi pudore simul iniuriaque afficeret; nomē autem suum, genus, ac patriam exquirenti, nequaquam aperuit, quòd nihil opus esse existimaret & alioqui latere atque contemni quam honorari mallet.

Minore
ressa
austera
ram
agit
poenitentiam.

Minoressa ad nosocomium S. Lucie rectà diuertit, ut cum ceteris mendicis quotidie precariò victum ostiatim quæreret. Ibi talem rationem iniuit, ut duro quodam & austero genere vitæ corpus affligeret, sensus coerceret, & inanissimas earum rerum quæ memoriæ prius inhaerant imagines prorsus

prorsus abstergeret. Quoniam verò in
compositione comæ nimiam olim cu-
ram diligentiamque posuerat, nudo
capite dies & noctes incessit, capillos
promisit impexos & squallidos, ac per
eundem sui contemptum passus est
vngnes barbamque excrecere. Ob-
ductus erat illo sacco quem diximus,
humo nuda cubabat, noctes pœne du-
cebat insomnes, præteritorumq. pec-
catorum memoria magnam ei lacry-
marum vim exprimebat. Singulis die-
bus iterum & tertio sese flagellis acer-
rimè cædebat, flexisque humi popli-
tibus orationem in septenas horas
magno animi sensu producebat. Ma-
tutino sacrificio, Vesperarū & Com-
pletorij officiis attenta animi cogi-
tatione intererat, qui quantò erat
mitior atque tenerior tantò facilius
impressiones cælestium rerum diui-
nasque laudes in intimas medullas
admittebat. Semel in die corpus re-
ficiebat solo pane & aqua contentus.
ad eum modum singulis diebus iei-
unabat, exceptis Dominicis, quib-
us obibat sacra Confessionis & Eu-
charistix

charitatis mysteria . Tanto denique studio appetitiones animi domabat, easque rationis subiiciebat imperio, ut sibi subtraheret illud omne quod corpus aliquo voluptatis sensu posset afficere. Quocirca licet optimam corporis constitutionem esset ei largita natura, hanc tamen tanta vitæ asperitas paucis diebus ita afflixit, ut magnam ei debilitatem attulerit.

CAPVT. III.

Angitur scrupulis conscientia morbisque tentatur, curatus, diuinis reuelationibus illustratur. Memoria eius momimentum Minoressa.

Scrupuli
qui-
bus
ange-
batur

NEquè tamen ista domandi corporis ratio tantùm vires eius extenuauit, quantùm animi ægritudo scrupulique fregerunt. Etenim quamuis omni cura totius vitæ maculas sacra confessione deleuisset, ut diximus: Deus tamen qui sic eum exercere decreuerat, ad eum penitus expiandum, tantis animi molestiis exagitari permisit, ut nec ab oratione leuamen

men